



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Syntagma Iuris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm
Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||**

Grégoire, Pierre

Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.

VD16 VD16 G 2999

2 de Legitmis principibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97739](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97739)

naetus, *Iustin. in 1. tandem* & ipse misere obtruncatus, *Q. Curt. lib. de gest. Alexand. & Iustin. in 1.* Occupata ¶ regna omnia, & vincta remota iustitia, nihil aliud iunc, nisi magna latrocinia: quia nec ipsa latrocinia nihil aliud iunc, quam parua regna, vt ait D. Augustinus, *lib. 4. de Ciuitat. Dei. c. 4.* Vt & eleganter & veraciter Alexandro Magno comprehensus pyrata, & interrogatus quo scelere impulsus, mare infestum habere vno Myoparone, (ist esse, nauicula pyratica) respondit. Eodem, inquit, quo ta orbem terrarum, *Cicer. 3. de Rep. vt refert Nonius Marcellus.* Sic Lucanus, *lib. 10.* Alexandrum Magnum felicem terrarum prædonem vocat,

Terrarum fatale malum, fulmen, quod omnes

Percuteret populos, paruiter, & sicut iniquum Gentibus.

7 ¶ Regnorum ¶ horum exitus post illegitimum initium etiam infelicissime succedunt. Regnum enim malis artibus comparatum, & vi retentum, non potest perdurare, *Demosth. Olynth. 2.* quia non manent in officio, qui vi continentur, sed ad primam occasionem & leuem offensionem dissoluuntur illorum fœdera. Dum spes est in armis, ipsam quidem floret, & vi effici possunt res, sed tempore collabitur. Et vt adificiorum fundamenta oportet firma esse, ita

8 & causas negotiorum iustas esse. ¶ Inter ¶ principes, qui legitime quidem nati sunt imperii dignitatem, sed qui pessime & tyrannice regnarunt, plures enumerare possem, si hic non iura interpretari, sed historiam perscribere vellem. Itaque super sedeo, & intra fines operis me continebo. Et in summa certum puto, quod

rex & tyrannus omnis est, tandem aliquando, libertatis inimicus, & legibus infestus, *idem orat. con. Phil.* vbi pater eum amittit animum. Nec fieri potest, quin nimia principum vlturata licentia in animo imperandi indigno, multas & fere intolerabiles non excitet tragedias, & ita imperium in tyrannidem non degeneret, quæ longa distinctione inter se diffident, vt diximus in Feudis circa finem. Neque nisi raro inuenimus vltos principes legitime vocatos, qui nimia vt ebrii licentia, in aliquod insignis vitium non inciderint. Tyberius Cæsar crudelis & simulator, *Dion. lib. 58. hystor.*

Caius Caligula inconstans, prodigus, luxuriosus, parricida, incestuosus cum sororibus, adulter cum aliis, *idem lib. 59.* Claudius Cæsar, vxoris Messalinæ & famulorum suorum mancipium, *idem lib. 60.* Galba pecunia inexplebilis, ideo occisus a militibus, *Xephil. ex Dio. in Galba.* Tempus imperii Vitellii nihil aliud, quam ebrietas, & comessationes, ita & turpiter a suis militibus occisus, & ad gemonias proiectus, *idem in Vitellio.* Domitianus fraudulentus, simulator, crudelis, incestuosus cum nepte: tandem quoq; a duobus suis cubiculariis Parthenio & Sigerone necatus, *idem in Domitia.* Sub Commodio degenerante a probro patre Antonino, respublica venalis, & magistratus: athletaque is potius, quam Cæsar, & voluptatis prodigium: tandem & ab athleta Narcisso in balneo

9 suffocatus, *idem in Commodio* ¶ Antoninus ¶ Caracalla crudelis, lubricus, parricida fratris Getæ, gladiator, tandemque a Macrino, quem occidere decreuerat, obtruncatur, *idem in Caracal.* Auitus Cæsar, dictus Sardanapalus, tantæ mollietiei & luxuriæ, vt alios in his quoslibet superaret: tandem etiam necatus, & capite absciso eum matris corpore in Tyberim proiectus, *Xephil. in Auito & Pseudo Anton.* Crudeles Constantius & Gallus Cæsar, *Ammia. Marcelli. lib. 14.* Et ¶ Constantius 2. interfector, & successor Galli, superbissimus, primulque extero ritu, & regio more instituit adorari, eum antea semper ad similitudinem iudicum, salutatos principes legerimus, *idem lib. 15.* Mos autem ille mutatus a regib. Persarum, qui volunt se adorari ab aduentibus, *Emil. Prob. in canone.*

10 ¶ Xenoph. in Agesilao. ¶ Quam ¶ superba & ridicula Darii Arsanii filii formula, qui totius orientis monarchiam tenebat, qui ante quã vinceret ab Alexandro Magno, imperiosissima legatione se regem ac regum consanguineum Deorum, Alexandrum vero famulum suum appellauit, *Quint. Curt. lib. 2. de gest. Alex.* ¶ Et Cleopatra ¶ etiam eo insolentia prouecta est, vt reg. nam reginarum se appellaret, *Suidas, in verb. ἐξάρχου.* ¶ Narrat ¶ Idomeneus, Pifistratides Hippium & Hipparchum filios scilicet Pifistratidis, conuiuia comessationesq; inuenisse, quapropter equorum, aliorumque multorum apud illos erat copia, & ex eo fuisse graue eorum

11 imperium, *Athena, lib. 12. D. p. p. cap. 15.* ¶ Non ¶ percurram aliorum regnorum priuata exempla, sed sufficet res omnes, ipsaq; imperia, & ad summum virtutis perducta, & viribus collabi. Et vix filios & successores in regno quantumuis legitimo imitari patres, vel similes esse maioribus, imo nec sibi ipsis. Nam quos labor & virtus per electionem ad regna euehit, vel successio legitima extollit, sepe, & vt plerumq; res secundæ corrumunt, vel satellites, seu consiliarii improbi, & rerum nimium felix successus,

& voluptas. Quomobrem paulatim imperia, regna, & principatus senescunt, ægrotant, concidunt, & intereunt, aliaque noua resurgunt. Quo respexit forsan varicinium, si ex his quæ vidimus, fidem futuris habeamus, Biffini Biffini Thoringorum regis vxoris, que, vt auctor Aymonius, *Aymon. lib. 1. hystor. Francor. cap. 8.* futuras regum Gallorum successiones, visionibus Childerico regi dilucide ostendit: quas qui legerit, non minus mirabitur, quam si Sibyllæ oracula legisset. Sed omnibus potius rebus pub. ruinæ & miseriae causas subiecerunt præcipue duo vitia crudelitas, & luxuria. Vtrumque in Tarquinio Superbo finem imposuit regno Romanorum, *Liui. in 1. & 2. Dionys. Halicarn. lib. 4. Entrop. in 1. Oros. in 2. & alii.* Mollietis & luxuria monarchiæ Assyriorum per Ninum vlturpata ab Artace, *Iustin. in 1.* Quæ & regnum transfuit in Carolum Marcellum Galliarum. His accedit rerum pub. gubernandarum ignorantia, quæ præcipites agit principes, & ob quam ordinata peruertunt, egentia ope cõtenuunt, aut prætermittunt, discrimen nesciunt inter rectorem & subditos, omnia confundentes, in quibus dignitatem conseruare imperii oportet, remissi: in quibus imperium remittere, tyranni. Vera autem imperii regii expressio, in filiorum gubernatione est: nam & in hos imperium regii dicitur, *Arist. lib. 3. Polit. c. 8.* Quod enim genuit, quodq; per amicitiam præest, & per ætatem, idipsum est idem, quod species quædam regii imperii. Et sic Homerus Iouem omnium regem, hominum, deorumque patrem vocat. Natura enim excellere regem oportet, genere autem esse eundem. Quod accidit seniori ad iuniorum, & parenti ad natum. ¶ Illegitimi ¶ quoque habitus sunt principes, qui imperium sibi vlturparunt nouum, & præter morem & consensum populi, ex temporali perpetuum sibi fecerunt principatum. Quem admodum decemviri Romæ tentarunt. Item & Sylla in dictatura semestri, & Iulius Cæsar in imperio. Naturale quippe pluribus visum est, ducibus subiecti & imperium in se concedere: at minime quibusdam tutum, semper vni vel pluribus fidere, vel omni tempore principatui, vel absolute concedere. ¶ Sic uti lex erat Thebis, que morte multabat, si quis diutius imperii retinisset, quam lege prescriptum erat. Ex qua lege in iudicium Epaminondas vocatus est, ex agro Laconico reuersus, quamuis tunc vicisset fufis Lacedæmonis, quod Bœotare hie, id est, imperio, contra legem quatuor menses addidisset, *Emil. Prob. in Epaminonda. Elian. lib. 13. de Var. hystor. Plutar. in Apophtheg. reg. in Polit. & in Pelopida.* Romæ consules, ad quos imperii summa deferrebat, annui tantum, *Liui. in 1. & 2. Dionys. in 4. Entrop. in 1. Oros. in 2. D. Augusti. de Ciuita. Dei. c. 16. lib. 3. & alii.* Carthagine quoq; singulis annis bini reges creabantur, *Emil. Prob. in vita Hannibalis.*

De Legitimis principibus. Cap. 2.

- 1 Imperia & regna tribus modis hominibus contingunt, armis, electione, successione.
- 2 Imperia iusta armis quaesita quadam. Regna in Gallia plura eod. Regna Alemanorum subacta, eod.
- 3 Reges electione facti quomodo, & vario.
- 4 Regna ex infundatione in clientelam data.
- 5 Electione fiunt principes spirituales, & secularis.
- 6 Monarchia, & monarchia quid.
- 7 Imperator quis dicatur.
- 8 Reges Romanorum qui, & quot.
- 9 Consules Romanorum quando ceperunt. Dictator Romanorum, eod. Magister militum Romanorum, eod.
- 10 Imperatoris nomen Romanorum quando cepit. Cæsares, eod.
- 11 Reges Albanorum, Syllii: Egyptianorum Pharaones: Alexandria, Ptolomei. Parthorum, Arsidae: Latinorum, Murani.
- 12 Augusti unde. Pii Cæsares a quo dicti, eod.
- 13 Principi magistratum, & populi delata potestas. Regnum, nobilis seruitus, eod.
- 14 Regum due artes, militaris, & legum.
- 15 Regnum bifarium sumtum, secundum legem, & secundum genus.
- 16 Lacedæmoniorum duo reges, & ex prosapia Herculis.
- 17 Hiala rex ex genere delectus.
- 18 Imperii secundum genus hystoria & successio.
- 19 Coriti, designatis reges, post mortem videntis dicti.

- 20 *Cæsares designati Imperatores post mortem patris dicti. Princeps inuentus quis, eod. Princeps in Hispania filius successurus in regno dicitur, eod. Despotæ Græci quis, eod.*
- 21 *Moufieur in Gallia successurus in regno. Delphinus in Gallia quis, eod.*
- 22 *Familie & regna moriuntur. Regna generis, quæ ob genus interuentum defecerunt.*
- 23 *Imperium quando translatum in Carolum Magnum. Et quando translatum ab eius genere in Saxones, eod. Quando electioni commissum imperium, eod.*

1 Imperia, & regna, & principatus, triplici modo potissimum decernuntur hominibus, armis, electione, successione. ¶ De regno ¶ quod armis paratum est, præstant exempla passim, sed potissimum istum illud pro Israelitis, depulsis idoloratis regibus, contigit, ut constat ex tota historia Iudicum. Et istum quod in vindictam eiusdem populi delinquentis stabilitum aliquantulum Babylonis supra Israhælem, 4. Reg. 6. pen. & sin. 3. Paralip. c. fin. Istum imperium ex iusta causa sibi parauerant Christiani Hierosolymitanum: istum Carolus Magnus in Sarracenos, & contra Arianos Cæsares nactus, vi illos loco cedere cogens. Existimatur & lex bellorum iusta, victum victori inferuire, & inferiorem potentiori. Quo factum est, vt reguli qui plures erant in Gallis, tandem sub vniuerso imperio venerint regis Francorum: vt regnum Sueslonum, Neustria, Aurolicæ, Aquitanie, Burgundie, Lugduni, Biturigum, Tolosæ, Aluernie, & alia quæ in prouincias, ducatus, comitatus, & marchionatus translata sunt. Sicuti & tempore belli ad Tolbiacum iniit Clodoueus victor regulos Germaniæ sustulit, vt auctor Beatus Rhenanus in 2. ¶ Electione ¶ sunt principes & reges, vel infundatione, vel via electionis solemnis: seu suffragiis populi fiebant consules Romæ expulsi regibus, illi dictatorem dicebant, hic eligebat magistrum equitum. Ante consules, senatus interregem tempore regum faciebat. ¶ Infundatione ¶ pluribus regna data sunt, & dantur hodie a superioribus: a summo potissime, in prouinciis & regnis, quæ suæ sunt potestatis, vel quæ illi hominibus debent, & fidem iurant. Quale est rex Hierosolymorum, Siciliæ, Aragonum, &c. de illorum regnorum infundatione, vide qua diximus in feudis, cum de personis idoneis agimus. Dantur & regna in feudum ab imperatore, quæ sui sunt hominili, & Imperii facit & si velit noua. Illud ipsum & facit Turcarum Imperator, & pretiosus Ioannes qui plura habent sub se regna tributaria, & suæ fidei. ¶ In ¶ summa per electionem sunt legitimi principes, spirituales & temporales. Legitimi principes, spirituales sunt per electionem illi, de quibus dictum est alibi, videlicet summus pontifex, patriarchæ, cardinales, & alii præpositi antistites. Secularis porro principatus & legitimus electus erit, siue sit vnus, & plurius: vnus est, monarchia & regnum: plurius, aristocrazia optimatum: oligarchia, paucorum: democratia, populi. De quorum præstantia disputat Dion, lib. 44. & 36. & in epitom. Polybii, lib. 7. & nos alibi. Pendet ab iis magistratum potestas & electio. ¶ Monarchiæ ¶ nomine, administratio illa continetur, quæ vnus tantum habet dominum, qui superiorem non agnoscit. Sed absolute monarcha totius orbis dominus est. Ego plures annotavi, qui se orbis dominos dicerent, nullum autem qui talis esset adhuc præter vnum: eumque solum Deum inueni, & eius vicarium vnicum Papam in orbe Christiano: alii sua opinione, & adulatorum inflati ventis, tanquam monarchæ. Deus solus rex regum, & Dominus dominantium, Apoc. c. 19. & solus æternæ imperans, Psal. 9. & Exod. 15. Alexander se monarcham dixit, sed si quis illius imperium expendat, plures nationes inuenit illi non subditas, nec quidem Romanos. Imperatores Romanorum etiam orbis dominos dicunt, bene a Zenone, de quadriennis præscri. C. l. deprecatio ad leg. Rhod. de iact. in P. §. omnes vero populi, in præmio Infrusionum. Sed quam alienum hoc ipsum sit a veritate, manifestum est. Sed istos omittamus, & similibus monarcharum paganorum, & Turcarum, vanos titulos, vt ridiculos. At fatebimur eos esse in regno & imperio proprio monarchas, quamdiu præualent subditis. Tales & dicimus reges, qui a bene regendo nomen habent, cap. clerus, versio, pontifex, 21. dist. vt imperatores ab imperio. Conuenimus & alium vanissimum titulum, quem sibi vsurpant æternitatis, in l. 2. de fabricis lib. 10. c. ¶ Et ¶ ne in falsis illis insignibus & insulis immoremur, de imperatore quædam percurramus, quæ ad iuris ciuilibus pertinent cognitionem, & de regno Romanorum, & administratione reipublicæ eorumdem. Impera-

tor apud Plinium lib. 7. natura. histor. dicitur, qui certum hostium numerum sua manu occidisset. Secundum M. Terentium Verro-
nē, 4. de ling. Lat. Imperator ab imperio populi, quæ eos qui id attentassent, opprimeret hostes. Strabo, 1. Geogra. imperatores præstantissimos eos fuisse dixit, qui post maris & terræ acquisitionem, in ciuilem cæterum homines coegerunt. Cicero cum Plinio consentit, Cicero, Philip. 14. oportuisse eum, qui imperator dici vellent, sua manu mille aut duo millia hostium occidisse, vel seruitutis liberatorem fuisse. Explicat id ipsum Alexander ab Alexandro, lib. 1. Genial. diar. cap. 2. ¶ Duces ¶ etiam imperatores dicebantur, quod imperarent militibus. Ex duce militum, vel larronum factus fuit rex Romulus, & post eum alii nomen obtinuerunt, vsque ad Tarquinium Superbum septimum, & postremum ducem, qui regis nomē habuerit, a primo Romulo, cui successerunt ordine Numa Pompilius, Tullus Hostilius, Ancus & Martius, Tarquinus Priscus, Seruius Tullius, & vltimus Tarquinus Superbus, qui regnarunt per annos 243. de his regibus Linius, in 1. & Flor. Paul. Diacon. in 1. de princip. Roma. Sextus Rufus Consul. In Epitom. histor. Plinius, de vir. illustri. Dionys. Halicarn. in toto primo volumine Orosii, in 2. c. 5. & 6. August. li. 1. de ciuitate. Dei. c. 19. l. 2. de orig. iur. Ouid. 2. Fastor. Primus vi constituit imperium, alii partim successione, partim electione facti reges: & aliquo eorum deficiente & mortuo, interdum, vt ait Dionysius Halicarnassæus, interrex a senatu electus est. ¶ Ob scelus adulterii in Lucretiam commissi per Tarquinium Superbum expulsi reges, & nomen regum a populo Romano: aliudque nomen secundo, imperantium, consulum videlicet annuorum ex electione inductum est, Predicti fidem faciunt auctores. Et nono post anno Tarquinio exercitum inducente, dictatoris potestas semestris addita cum magistro equitum, Eutro. in 1. Orosii, in 2. c. 6. Electi consules dicebant dictatorem, hic magistrum eligebat. Successere postea Tribunicenfores, consules iterum, decemuiri, rursus consules, & dictatores electi. ¶ Donec ¶ Iulius Cæsar sibi pro nomine principatus Imperatoris nomen, quæ a militibus accepta, retinuit: & reipub. gubernationem vsurpauit, Plutar. in vita Cæsaris. Cuius successores, etsi imperatoris appellatio regia potestate inferior esset, Donatus Acciaiolus, in vita Caroli Magni. pro inferiori titulo se imperatores nominari maluerunt, quam reges. Forsan & alia ratione, quod nomen regis summopere Romanis esset exosum. ¶ Ita ¶ & Cæsares quoque ab eo dici voluerunt, Spartianus, in Elio Vero. Sicuti & Albanorum reges Siluii, a Siluio Posthumo 3. eorum rege, Eutrop. in 1. Rom. prin. Egyptiorum reges, Pharaones: Alexandria, Ptolomæi, Ioseph. lib. 8. Antiquit. c. 6. Parthorum, Ascidæ: Latinorum, Murani. ¶ Sic ¶ & Cæsares Romani ab Augusto vel Octauiano, dici voluerunt Augusti, Philip. Beroald. in Sueton. in Iul. Cæsar. c. 1. is autem a populo Augustus, quasi venerandus, cognominatus est, teste Dione, Dio Cass. lib. 53. histor. Sic & Pii ab Antonino Pio imperatore, §. fin. vt liberti de cæter. auro non indigeant annulo. col. 6. tit. 6. in auth. cui erat & Gallia transalpina paternum genus, e Nemaufense pater Aurelius Fuluius, ingenio clarus & doctrina, atque mitis: nitidæque literaturæ, Numæ Pompilio comparatus: cognominatus Pius a senatu variis ob causas, quæ recenset Iulius Capitolinus, in vita Antonii Pii. & Vulcatius Gallicanus, in Auidio Cassio. ¶ Ad ¶ hanc potestatem, alia omnis magistratum qui imperabant, populi que Romani deuoluta est, vt suo loco in iure ciuili & positiuo explicauimus, §. sed & quod princip. de iure natura. l. 2. nouissime, de orig. iur. l. 1. de constitut. princip. P. l. 1. §. hoc etiam nihilominus, de veter. iur. enuclea. Zonaras Tomo 2. l. Barbarius, de officio prætor. Ita ad hanc solum reipub. cura pertinet, §. 1. de here. & falciid. in authent. l. 2. de offi. præf. vigil. P. debet; studere princeps, vt subditi in quiete & pace viuant, §. 1. vt diui. iustion. subfori. habeat gloriosiss. quæstor. in authent. Et publicis occupari negotiis, §. ad hæc, vt cum de appell. cogno. in auth. & alta mente retinere quod Antigonus rex filio suo quem se immodestiorum & violentiorum quam par esset, gerere videret, dixit: An non nouisti, fili, regnum nostrum nobilem esse seruicium? Elia. lib. 2. de varia histor. c. 20. ¶ Regum ¶ due sunt artes præcipuæ, militaris, & legum, §. 1. in præmio Infrutur. vt pacis, & belli tempore recte reipub. gubernent, & tueantur. Arma & leges mutuo auxilio egent, l. 1. de iustitia. C. confirm. C. l. qui restituer. de rei vind. P. Et princeps ad iudicandum potissimum, & regendum bonis legibus populum, præpositus est, l. Reg. 8. & pectus eius scriptum & promptuarium debet esse legum omnium, l. omniū, C. de restam. atque philosophia plenum, l. penult. C. de his quib. ut indig. Et tum demum felices reipublicas dixit Plato, si aut philosophi ad regnum promouerentur, vel reges philosopharentur.

Non oportet certe nauitiam nauigandi imperitiam, nauim regenda præficere, alioquin periclitantur qui in ea sunt, potissimum furentibus ventis, & concitato mari. Nec quoque reipublicæ gubernacula commissa imperitis successibus vel exitus habent faciles, ubi illa potissimum seditionibus æstuat. Sic enim optime Mitylenæus poeta Lyricus Alcæus, rempublicam perturbatam, & statum, per nauim allegorice designat sub Mycello tyanno Mitylenæorum, apud Heraclidem. *lib. Allegoriarum Homeri.*

*En asperum, inquit, ventorum
Marsique statum, conciti
Fluctus feruntur, hinc & hinc,
Nos puppis in medio vobis,
Gransque tempestas premit,
Iam corruit in feminam,
Cui malus alligatur
Lignum, saceraque vela sunt
Et anchora laxata. Et postea,
Hic fluctus velut æstuant
Rempublicam obruis omnem.
Et nobis haurienda
Est sentina malorum,
Quæ plurima intrat nauim.*

15 ¶ Regnum bifariam sciendi Plato dicebat. Aliud enim secundum legem, aliud secundum genus esse: secundum legem constare Carthaginensium regnum, civile quippe esse. Lacedæmoniorum autem, & Macedonum, secundum genus: quod haberent successionem quandam per genus. *Dioge. Laertius, lib. 3. in vita Plato.*

16 ¶ Morem fuisse Lacedæmoniiis a maioribus traditum scribit Æmilius Probus, in *vita Agesila.* i. vt duos haberent semper reges, nomine magis quam imperio ex duabus familiis Proclis & Butilthenis, qui principes ex progenie Hercules Spartæ fuerunt. Harum ex altera in alterius familiæ locum fieri non licebat: itaque vterque suum retinebat ordinem. Primus in eo habebatur, qui maximus in ea esset ex liberis eius, qui regnans decessisset. Si is virilem sexum non reliquisset, tum deligebatur qui proximus esset propinquitate.

17 ¶ In Italia etiam republica Indorum reges ex duabus familiis per successiones assumebantur, vt auctor Diodorus Siculus. *lib. 17. Bibliothec. anno 9. Alexand.* In Gallia nostra reges ex genere succedunt primogeniti regis præmortui, cui si nulli supersint filii supersites, ad proximam ex genere diadema deferunt, exclusis feminis ex lege Salicæ: defecit tamen ter recta generis successio.

18 ¶ Hoc imperium, quod ex successione datur, videtur fuisse primum in orbe, & natura inductum, secundum ea quæ docet Aristoteles. *1. Polit. c. 1. & 2. & 4.* Vt primum coniunctione maris & femine facta, imperium fuerit viro, cui erant mulier subdita. *Genes. 3.* Et hæc fuit prima societas quotidiana, prima domus, primum imperium, quod & gentis inde imperavit qui essent cum illa domo *quæ erat abel & sibi quæ erat cay.* Cum autem nati plures ex prima domo sunt, & seorsum diuersis domibus habitare cœperunt, reuerentia genitoris primi, vt antiquioris, & imperii honos animis adhæsit separatorumque eos, qui domibus separatis imperarunt, maxime primum ex quo descenderant venerati & honorare æquum visum fuit: illum autem singulis prospicere. Sic pagus cepit fieri ex natis natorum, & vni subditus fuit, omnisque domus regebatur a seniore. Et postea senioris proximiores, priores esse cœperunt: & ex pagis ciuitates, ex ciuitatibus regna composita, remanente gubernandi paterna potestate, cui & regia similis.

19 ¶ Prisci reges quidam tamen eligebant sibi successores in regno, quos vocabant Coritos, hoc est, lones vel hastatos, ita Sabatius Saga creatus Coritus a lano. *Beros. lib. 5. de strationis histor.* Et Arius 6. Babylonæ rex Aruuum. Et tempore regis Athladiis regis 12. Babylonæ, Hercules filius eius, Thuscum filium Ianigenis creauit sibi Coritum. Tempore Sphæri 15. regis Babylæ. Morges filius Itali creauit Coritum suum cognatum Combolasionem, vt

20 scribit Berosus. ¶ Apud Romanos, imperio præelecti principum filii seu Imperatoris, Cæsares dicebantur, quasi designati augustæ maiestatis heredes, vt auctor Spartianus in *Ælio Verro.* Et hinc Germani, Romanorum regem Cæsarem appellant. Idemque principes dicti iuuentutis, testibus Tacito, Suetonio, & Lampridio. Eratque hoc nomen auspiciū futuris Imperatoribus, sicut in Hispania, qui mortuo parente regnum adepturi sunt, principes appellantur. Et filii Imperatorū apud Græcos despota

dicti. ¶ Vt & hodie filius regis proximus successi, ne, dicitur, 11 *Monseur,* vel alio nomine Delphinus: ab eo tempore, quo Vmbertus, secundum Paulum Æmiliū, *li. 9. in Joan.* vel secundum Nicolaum Gillium, Imbertus Delphinatus princeps, Philippo Valesio Gallorum regi, Delphinatus dominatum cessit, ea lege & conditione, vt proximus regis heres dominus diceretur, *Vincen. Lupanus, in commentariis de magistratibus & præfecturis Francorum.* vocabant Allobroges quippe suos principes, Delphinos. *Paul. Emil. lib. 3. in Philippo Longo.*

¶ Fuerunt quatuor monarchiæ principales orbis per successionem in filios translata, donec incuria, vel vi in aliam ditionem translatae sunt, vel deficiente genere: deficiunt enim, & senescunt quoque familiaris, & moriuntur, vt regna. Expertumque illud in monarchia Galliarum, quæ etiam ter mutauit succedendi ordinem: non tamen in alterius regis ius, quam proprii transiit, ex quo confirmata fuit Imperio quoque Romano id ipsum accidit sæpe, & series familiarum in eo turbata & expuncta est. ¶ Et tandem defuit ipsum imperium in oriente, & translatum in occidentem, in Carolum Magnum Franciæ natum in Germania, filium Pipini regis Galliarum & Bertæ, anno domini 801. anno 21. imperii Constantini & matris Helenæ. In cuius familia remansit ad mortem vique Ludouici Balbi regis Galliarum, post cuius a vita obitum, translatum est in Saxones Allemanos, penes quos iure successione quoque a patre in filios peruenit, vt que ad temporarium Orthonum, quorum postremus veneno dato a Romanis, Romæ mortuus est. Qua ratione Gregorius 5. natione Saxo, qui pulso ab Orhone antipapa Ioanne 17. dicto, restitutus in sedem erat, vt imperii dignitas apud Germanos suos maneret, Synodo congregata sanctionem tulit de Imperatore deligendo, quæ vique in hodiernum diem obseruatur, anno 994. *existat consuetudo, in c. venerabilem, de elect. electoribus Germanis constituta, de quib. gloss. in c. ad apostolica, circa finem, de re iud. in Sax.* Post quorum electionem triplex diadema, seu tres coronas suscipit, primam Aquiligrani in Colonienfi diocesi: secundam, in Modiciensi ciuitate a Mediolanensi archiepiscopo: postremam Romæ summo pontifice. *gloss. in c. ne Romani, §. porro, de iur. iur. in clem. 1.*

De Populo. Cap. 3.

- 1 Publicum quid.
- 2 Populus quid.
Collegium quot constat personis. eod.
Plebs quot constat personis. eod.
Turba quot constat personis.
Genus & gentes quid, & vnde. eod.
- 3 Populus diuisus a Romulo ordine, & dignitate, & quomodo.
- 4 Populo permissa ex lege Romuli.
- 5 Democratia quibus consistit.
- 6 Democratia quid, & finis.
- 7 Græuum imperium reciprocum.

¶ Quod populi est, recte publicum dicitur: quasi populicum, *§. 1. consequens de suspens. iur. §. 1. de pub. iud.* Et publica, quæ sunt populi, potissimum quæ sunt populi Romani proprie: aliorum autem, per similitudinem. *l. bona ciuitatis, & l. eum qui vestigal. de verbor. signific. l. inter publica, eod.*

¶ Populus dicitur multitudinis cœtus, ratione communis iuris, & vtilitatis vniuersæ: vt definiisse Ciceronem in libro de republica, cuius pars interit, testatur D. Augustinus. *li. 19. de ciuit. c. 21.* Duo vel tres faciunt congregationem, & collegium, *c. 1. de electio. l. Neratius, de ver. signific. quod per vnum retinetur. l. ficut, §. fin. quod cuius. vniuers. nom.* Decem faciunt populum, & plebem, *can. vno, 10. q. 3. ca. 1. & ibi glo. de elect. turbam, quindecim. l. pretor ait, in 2. vi. bonor. raptio. P. & ibi Barto.* Gens quoque pro populo accipitur, *§. ius autem civile, §. quod vero, de iure na. gen. & civil. l. omnes, §. 1. eo. ti. P. can. ius gent. 1. dist. quamuis alio modo gens, & gentes, & gentes a gignendo, cognati dicantur. l. pronuntiaio, §. famulie, & l. sapa, de verbor. signific.*

¶ Diuisi Romulus populum Romanum, ordine, & dignitate. Multitudinem ordine, in tribus: tribus, in curias: curias, in decurias. Dignitate, in patritios & plebeios. *Dio. Halicar. in 2.* Postea & diuisus populus in senatores, equites, & plebem. Et proinde ex recenti diuisione compositus est populus ex patritiis seu senatoribus, equitibus, & plebe, *§. plebs, de iure natu. q. 6. & civil. leg. plebs, de verbor. signific. de quibus, & de diuisione populi secundum ordinem, iam diximus alibi in c. 9. de iure civil. in 1. 2. h. de iur. iur. art.*

¶ Ro.